vxorem suam commendauit: dans
ei signum cui protinus deberet annu
ere: si aliquando ad se eam vocaret. Post
hoc autem sciens dyabolus signum
quod maritus ei dederat: se in ho
minem transfigurauit et vxori eius
signum viri offerens dixit. Vir tuus
ab illa ciuitate me misit ad te vt
ducam te ad eum. At illa adhuc
ire formidans ait. Signum quidem
agnosco: sed quia sanctis martiribus
Cosme et Damiano commendata
sum: super eorum altare michi iura
quod securam me duces et tunc tecum
protinus proficiscar. Ille autem conti
nuo vt dixerat sibi iurauit. Secu
ta ergo eum cum ad quendam lo
cum secretum venisset: voluit eam
dyabolus de iumento precipitare ut
ipsam occideret. Quod illa sentiens
exclamauit. Deus sanctorum Cos
me et Damiani adiuua me Vobis
enim credidi et secuta sum eum. Con
festim autem sancti cum multitudi
ne dealbatorum ibidem affuerunt et
eam liberauerunt dyabolus vero
statim euanuit. Et dixerunt ei. Nos
sumus Cosmas et Damianus quorum
iuramento credidisti Ideoque festia
uimus venire in auxilium tibi. ¶
Felix papa attauus sancti Gregorii
in honore sanctorum Cosme et Dami
ani nobilem ecclesiam Rome constru
xit. In hac ecclesia quidam vir san
ctis martiribus seruiebat: cui iam
cancer vnum crus totum consump
serat. Et ecce dormienti illo sancti Cos
mas et Damianus deuoto suo appa
ruerunt: vnguenta et ferramenta secum
ferentes. Quorum vnus alteri dixit

253

Vbi carnes accipiemus: vt absci
sa carne putrida locum vacuum
repleamus. Tunc ait alter. In ci
miterio sancti Petri ad uincula ho
die ethiops recens sepultus est.
Et ecce ad cimiterium properauit
et coxam mauri attulit. Precidentes
que coxam infirmi: loco eius coxam
mauri mortui inseruerunt et coxam
infirmi ad corpus mauri mortui de
tulerunt. Euigilans autem cum se sine
dolore sensisset manum ad coxam po
suit et nichil lesionis inuenit. Ap
ponensque candelam cum in crure nil
mali videret cogitabat an non ip
se qui erat: sed alius alter esset. Re
diens autem ad se: pre gaudio de
lectulo prosiliuit et quid in somnis
viderat et qualiter sanatus fuerat
omnibus enarrauit. Qui conciti
ad tumulum mauri miserunt et cox
am predicti viri loco illius in tumu
lo positam repererunt.

¶ De sancto Forseo episcopo.

Forseus episcopus cuius
hystoriam Beda scripsisse
creditur. Dum omni virtu
te et bonitate polleret: ad extremum
veniens spiritum emisit. Viditque
duos angelos ad se venientes et eius
animam deferentes. Tercium vero ar
matum scuto candido et gladio ful
gureo se precedentem conspexit. de
inde demones clamantes audiuit.
Precedamus et ante faciem illius
bella commoueamus. Cum ergo
precessissent conuersi ignita iacu
la in eum iactabant: sed angelus pre
cedens scuto ea suscipiebat et pro
tinus extinguebat Tunc demones

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-147/0513
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG